

1978

M

431
(7)

190. 12



DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

Dispicens

AN CONCEPTUS
ENTIS IN ORDINE

ad inferiora sit Univocus?

Quam

In Celeberrimâ Universitate Viadrinâ

suffragio Nobilissimi ordinis Philo-

sophici

Publico Eruditorum Examini submitunt

PRÆSES

M. PHILIPPUS BUCHIUS

Servestâ Anhaltinus.

RESPONDENS

ANDREAS BOAS

Dessâ Anhaltinus, Philosophiæ Candidatus

& Theologiæ Studiosus.

In Auditorio Philosophorum Majori.

Ad D. 26 Julij horis antemeridianis.

Frankofurti ad Od.

Excudit ANDREAS BECMANUS.

M DC LXI.

VIRIS
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO,

DN. HENRICO 

JCTO, Illustriss. Princip: DN. GEORGE / &
DN. IMMANUELIS, Principum Anhalt. &c.
Consiliario Spectatissimo.

Ut &

Admodum Reverendo, Praclarissimo, Doctissimo,

DN. JOHANNI PHILIPPO
EISENBERGERO,

Prædictorum Principum Concionatori Aulico, Ecclesia-
rumque Diæceseos Plözcaviensis Inspectori Vigi-
lantissimo.

*Dnn. Patronis, Fautoribus, & Promotoribus omni
observantia cultu etatem
solendis.*



Disputationem hanc consecra-
tam reddit.

Kapsel 78 M 431 [7]

AK

2121

M. PHILIPPUS BUCHIUS
Præses.



SECTIO I.

Π Α Ρ Α Σ Κ Ε Τ Η

§. I.

DE Conceptu Entis in ordine ad inferiora dissertationem instituturi, operæ pretium nos facturos putamus, si præmittamus non nulla, quæ subsequenti tractationi lucem subministrant haud exiguam. Primum autem sese offert distinctio Conceptus in Præcisivum & Contractivum: Hic in rem competit quatenus conditionibus inferiorum juncta existit; iste, quatenus spectatur in attributis essentialibus, quæ ab inferioribus præscindunt. 2. Sunt ex Philosophis, quibus circa hanc materiam distinguere lubet inter Conceptum Formalem & Objectivum: Hoc rem ipsam intellectui objectam & coram mente repræsentatam indigitant; isto verò actum intellectus, quo res objecta cognoscitur insinuant. De priori quæstionem intellectam volunt. Ast præter rem videntur Autores hi adduxisse hoc loco distinctionem illam. Ut enim in omni tractatione, sic etiam hac in materia præsupponitur intelligendum esse conceptum non formalem sed objectivum.

§. 2. Ne quis in vocabulorum hæsitet ambiguitate, vocabulum Entis ab æquivocationibus, in quas immersum, depurabimus. Ens autem accipi consuevit 1. Participialiter; prout Ens expresso fluxu & duratione 2. Nominaliter, quomodo Ens præcisâ & omisâ duratione dicit: idq; 1. inadæquate & quidem primò laxius, quomodo id omne titulo Entis insigniri aptum naturæ quod propositionem ingreditur; actum enim concipiendi aut enunciandi recipere nil sustinet, quin concipiatur ad modum Entis. Secundo pressius; sicq; pro solo Ente summo supponit. 2. Adæquatè exauditur per Ens quod habet essentiam. *Slevogt Diss. Acad. 3. §. 3. mo-*

net, *Ens hic non accipi in vi participij & ita strictè, ut nihil pro Ente sit habendum, nisi quod actu existit & non latet in virtute causæ: sed illud in præsens dici Ens esse, quod non repugnat existere sive actu existat, sive non existat actu.* Quibus calculum nostrum adjicere nequimus: Recipimus quidè, quod inserit; Ens non accipivi participij, sed illa quæ subjungit, illud nempe hic capi pro eo quod non repugnat existere, sive actu existat, sive non existat, non approbamus: Quandoquidem Ens in potentia numero Entium realium proscriptum volumus; dein distiguere est inter irrepugnantiam præcisivam & privativam. De quibus consule *Excell. Dn. Grebeniz. Præceptoris nostri honoratissimi Colleg. Met. Diss. 3. & 5.* Dispallefcit inde hallucinari hic Autores, qui Ens participialiter acceptum id nuncupant quod actu existit, nominaliter verò sumptum quod perinde est sive actu existat sive non existat; cum Ens nominaliter pariter ac participialiter acceptum actuali involuat essentiam.

§. 3. Notârim porro inferiorum nomine hic venire nobis Deum & Creaturam, Substantiam & Accidens. Quænam autem ex istis immediatè Enti subjiciantur, nimium quantum Autores inter se contendunt: aliis pro Deo & Creatura, pro Substantiâ & Accidente pugnantibus alijs. Nos quæstionem hanc, ut pote quæ parum facit ad institutum nostrum in medio relinquimus. Decisionem qui exoptat adeat *Disputationem Excell. Dn. Grebeniz. de immediatâ subordinatione Dei & Creature sub Ente.*

§. 4. Prælibatis iis, quæ concernunt subjectum, prædicati quidditatem paulo altius indagabimus, quippe cujus genuina explicatio haud parum momenti ad præsentem quæstionem confert. Univocum juxta nonnullos tria obtinet significata 1. Opponitur Æquivoco, dicitque id quod definitionem suam impertit multis sive essentialiter sive accidentaliter: Hoc sensu Univoca dirimuntur in Essentialia & Accidentalibus 2. designat terminum essentialiter multis communem, 3. innuit terminum communem æqualiter multis competentem, & hoc modo opponitur Analogi Analogiâ Attributionis intrinsicæ. Nos inter conceptum Univocum & Paronymum medium nullum agnoscentes significationem tertiam ceû spuriam & effectam repudiamus, contenti duobus prioribus Univoci significatis.

§. 5. Sole-

§. 5. Solemnis est distinctio apud Autores Univocorum in Univoca Univocantia & Univoca Univocata, quam magni faciunt iidem eaq; se maximè oblectant. Quod si autem eam penitus introspiciamus, comperiemus istā nullius esse momenti, quippe quæ inter materiale & formale vocis; nec hic magis necessaria quàm in omni consideratione. Ita distinguendum foret inter hominem humanantem & humana tum &c. Accedit, quod indisciplinis realibus semper spectemus Formale, non Materiale vocis, & vox πρώτως finisq; ratione, non se sed rem & conceptum significet. Rectius Univoca dispescimus in Participantia & Participata; Utrisque haud incommodè definitio Univocorum Aristotelica applicari poterit, activè modò & passivè explicetur eadem. Hæc dixerim res, quæ nomen & rationem essentialem impertiunt; ista verò, quæ nomen & rationem essentialem participant.

§. 6. Prætervexi alias distinctiones in hunc terminum conglomeratas, monemus Univocum hîc nobis cum essentiali seû synonymo recurrere. Exc. Synonymum & Univocum excedentium & excessorum instar se respiciunt, proindeque nimio opere expenditur Univocum, si tam late capitur ut æquipolleat ad Synonymum. Resp. Non in laxiore verum in theticâ significatione Univocum cum Synonymo retrocurrit. Nec est, quod nobis objicias distinctionem, quæ vulgo Autores Synonymum dispertire delitiantur in Univocum & Analogum; eâ enim figmenti in simulantes proscribim⁹. Inst. si Univocum hoc in sensu capiamus, utiq; non contravenimus vulgari sententiæ, ut pote quæ conceptum Entis essentialem lubens admittit. Resp. Longe omninò abimus à vulgi opinione, ea etenim conceptum Entis inferioribus suis convenire adserit, sed inæqualiter; nos verò Enti transcribimus conceptum essentialem nulla habitâ ratione istius, quam jactitant, inæqualitatis; imò specialem istum modum quem præter essentialem communitatem comminiscuntur repudiamus.

§. 7. Instituto nostro cum maximè quadret doctrina ista de Analogia, in rem fore speramus, si paucis eam tradiderimus. Heriscunt vulgo Analogum in Proportionis & Attributionis. Proportionis ipsis est quod de pluribus dicitur ob similitudinem quandam, quæ in quatuor consistit terminis, quorum uti primus se habet ad

secundum, sic tertius ad quartum. Analogum Attributionis dispescunt in Analogum Attributionis Extrinsecæ & Intrinsecæ: illud est, quod de pluribus prædicari sustinet non propter actualem inhaerentiam, sed habitudinem ad aliquid unum, quod prius Analogatum vocari amat: Sic sanum dicitur de animali, medicamento, cibo & urina. Quid autem sit Analogia Attributionis Intrinsecæ quam vocant, Autores uno ore non determinant. *Scharffius in Instit. Log. lib. 1. tract. 1. c. 2. p. m. 118.* Analogum describit, quod per similitudinem, & inæqualitatem pluribus tribuitur, ita ut uni $\pi\rho\acute{o}\tau\omega\varsigma$, alteri $\delta\epsilon\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$ conveniat. Præter quod autem inæqualitas ista non reperiatur in conceptu præcisivo, formale Analogiæ non exprimit: Prioritas enim & Posterioritas cum sint termini Transcendentales intra Analogiæ angustiam se coarctare non patiuntur, sicq; plura evaderent Analoga, quam admittuntur à vulgo. Vix enim repereris species, quas inter prioritas & posterioritas non intercedat, quas tamen Analoga vocare haud lubet. Sin excipias, peculiarem hic intelligendam inæqualitatem, rationem suggeras; cur hæc potius distinctum Synonymorum genus faciat, non verò alia.

S. 7. Calovius Gnost. Part. Gener. cap. 9. p. m. 27. 28. Analogiam facit duplicem; alteram cum dependentia unius Analogati ab alio, alteram citra eam, quam ibi tantum obtinere vult, ubi inferiora agnoscunt conceptum communem inæqualiter. Præter ea autem quæ *Scharffio* regessimus, respondemus 1. si dependentia & independentia, quæ sunt rationes inferiorum particulares, invehant Analogiam, utique Analogiæ ratio æstimanda venit ex diversâ inferiorum conditione, quæ cum in omnibus conspiciatur speciebus, Analogorum numerus longe ultra vulgi placita, extendendus foret. 2. illa, quorum unum alterius causa existit Analoga erunt, ut Pater & Filius ratione hominis. Quid? quod aliquàm multa evaderent Analoga, quæ vulgò inter ea haud referuntur, ut materia & forma, potentia naturalis & habitus &c. Haud minoribus difficultatibus exposita est altera Analogiæ species, quam ab inæqualitate Inferiorum arcessit: Inæqualitas enim specierum si introducat Analogiam, omnia ferè genera evaderent Analoga eò quod inæqualitatem in omnibus tantum non speciebus reperire liceat, ita ut vix dentur species, quarum una alterius adæquet perfectionem. Nihil agit

hil agit *Calovius*, quod ad stabiliendam labascentem suam Analogiā requirat excessum infinitum; nullam etenim subnectit rationem, cur excessus infinitus pariatur Analogiam, non autem quilibet alius. Dein distantia illa cernitur in inferioribus, minimè verò in ipso conceptu communi, quod cuivis ad oculos patebit, qui naturam generis probè pensiculaverit, ut pote quod in conceptu suo differentias actu non includit; nec rationem inferiorum particularem in conceptu suo involvere potest, nisi generis naturam exuat.

§. 8. *Mendoza disp. Log. 9. sect. 4. subs. 5. §. 40.* formale locat in Transcendentia, quam definit, *quā conceptus communis non formaliter includit differentias; hæ autem illum formaliter continent.* Quæ sententia, pariter ac præcedentes, est rejicula. Rationem enim Autor subjungit nullam ob quam genus illud vocandum Analogum, quod in differentiis suis formaliter includitur: Eadem igitur facilitate, quā id adferitur, rejici etiam poterit, 2. Ex eo quod differentia Entis Ens formaliter includunt, conceptus ejus præcisivus Analogus reddi nequit, differentia enim cum conceptum Entis haud quaquam ingrediuntur, qui poterint eum immutare & reddere Analogum? Repugnat autem aliquid fieri essentialiter diversum per id, quod ipsi essentialiter haud est, 3. Si $\bar{\omega}$ includi in differentiis Analogia rationem absolvat omnia genera jure audire possunt Analoga, quippe quæ eodem modo, quo Ens in differentiis suis imbibuntur. 4. Sententiam hanc premit & hoc absurdum: Ens nempe esse Analogum respectu attributorum suorum, ut quæ formaliter non includit, ab ijs tamen formaliter includitur. Sed fusius his refellendis meritò superfedemus, cum ea omnia quam solidissime excusserit *Excellent. Grebenitz in Coll. Log. Part. Gener. Tract. 1. Contempl. 4. quest. 5.*

SECTIO II.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ

§. I.

PRæmissis hisce ipsum quæsitum adgredimur, super quo diversæ occurrunt Philosophorum sententiæ. Sunt qui Enti in ordine ad inferiora Conceptum Æquivocum vel Analogicum Analogiā Propo-

Proportionis & Attributionis Extrinsecæ adscribunt; A quibus parum abire eos, qui Enti conceptum communē denegant, si dixerimus, nihil fortè à vero abluferimus. *Si enim ab intellectu immediatè attingitur substantia & accidens, non verò ratio utriq; communis, Ens fundabit equivocationem, Mendoza Disp. Log. 9. sect. 4. subs. 3. §. 26.* Sunt, qui Enti vendicant conceptum Analogicum Analogiâ Attributionis Intrinsecæ, ita quidem, ut ratio Entis inferioribus sit communis, verum non ex æquo, sed per habitudinem unius ad aliud. Quæ sententia, utut externâ fulgeat specie, si intimius fuerit introspecta, nihil in recessu habere, cui libet, quem partium studium non transversum agit, patebit. Sunt denique, qui Ens in ordine ad inferiora sua Univocum esse autumant. Quam sententiam *Scotus*, ijque qui ab eo nomen acceperunt Scotistarum, fovent. *Suarez* uti & *Javellus* probare satagunt, *Scotum* cum *Thoma* amicè in hac materia conspirasse: *Thomam* enim vocasse id ipsum Analogum, quod *Scoto* venit nomine Univoci. Sed uterque decollat: *Scotus* enim nunquam istud Thomistarum figmentum, Analogiam puta Attributionis Intrinsecæ, amplexus est. Cum hac ultimâ sententia, cum quâ facit veritas, nos quoque facimus, eamque propugnare nulli dubitamus. Rationes quibus eam stabiliemus, non numero multas, ponderosas tamen adducemus.

§. 2. Inter illos, qui Analogicum Entis conceptum defendunt reperire quosdam licet, qui hunc in modum argumentantur: Conceptus Entis nec est Æquivocus, nec Univocus E. Analogicus; sed infelici admodum conatu. Quis enim non videt majorem istam, insufficienti partium laborare enumeratione. Album. g. de pariete & cygno nec Æquivoce, nec Analogicè nec Univocè, verè tamen prædicatur. Sin alicui excipere lubeat; Univocum, uti ex superioribus liquet, tam laxè capi ut includat paronymum, iste hoc ferat responsi, illos, qui hoc modo argumentantur se hac Univoci acceptione tutare non posse, cum univocū pressius hîc accipiant pro eo, quod inferioribus suis essentialiter & quidem æqualiter convenit. In eundem igitur cum illis lapidem ne impingamus argumentum nostrum hoc modo formamus: Quicumque conceptus affirmativus non est Æquivocus, nec Paronymus, ille est Univocus. Conceptus Entis est

tis est affirmativus, non verò æquivocus, nec paronymus. E. univo-
cus. Major constat ex Logicis. Habitudo enim rerum, linguâ
Gurkij subtilitas, *Probi* natura, juxta *Excell. Dn. Grebeniz.* est vel
Affirmativa vel Negativa, Affirmativa vel Homonymia vel Epony-
mia; Eponymia iterum vel Synonymia vel Paronymia. Omnis in-
de conceptus affirmativus vel æquivocus, vel synonymus, vel paro-
nymus existit. Minor cum sit bimembris, duo membra ejus proba-
bimus. Conceptum Entis non esse æquivocum liquidò ap-
paret, terminos modò penetremus. Quicumque enim conceptus
pluribus convenit non quoad nomen tantum, sed etiam definiti-
onem juxta illud, ille non est æquivocus. Conceptus Entis est talis.
E. Major constat ex definitione *Æquivoci* in vulgus etiam notâ. Mi-
nor suâ luce radiat. Ratio enim Entis quam Irrepugnantia, Existen-
tia, Perfectio &c. absoluunt, inferioribus ejus ex asse convenit.
Quis enim Deo denegabit Existentiam, Perfectionem &c. quis cre-
aturæ easdem? Excipit. *Meisner9 Phil. Sobr. part. 1. sect. 4. quest. 3. p. m.*
1157. Deus & Creatura dicuntur Entia; Nomen quidem unum est, sed
res longè diversissima: Ens creatum est quod habet essentiam, nullo mo-
do hoc competit Deo, non enim habet essentiam, sed est essentia. Imò
multos reperies inter Theologos, qui Deum Essentiam vocare ma-
lunt quam Ens. Resp. Deum & creaturam præter nomen etiam rati-
onem Entis habere communem ex superioribus liquet, nec ullum e-
mergit absurdum, si dicamus, Deum habere Essentiam. 2. Subtilita-
tem illam, ob quam nonnulli Deum vocare malunt Essentiam quam
Ens vana peperit superstitione & ignorantia terminorum Philosophi-
corum. In Ente enim & Essentiâ nulla realis vertitur distinctio.
Posterius membrum adæquè probatu cadit facile. Argumentamur
ita: Quicumque conceptus primò & immediatè in subjecto suo con-
cipitur, ita ut ipsi primò & immediatè conveniat, adeoq; nulla ratio à
priori reddi queat, cur ipsi insit, ille est paronymicus. At conceptus
Entis ratione inferiorum est talis. E. Majoris & Minoris veritas cū ad
oculum enitescat ijs probandis supersedemus. *Conf. Excell. Greben.*
Coll. Met. disp. 7. subs. 7. §. 2. Excip. Major Syllogismi Principalis eo-
dem vitio laborat, quo argumentum illud, cujus retro facta mentio,
quippe quæ comperendi modos non exhaurit; præter illos enim da-
tur & Analogicus. Probatio nequiquam additur, cum minimè pro-
bet

bet conceptum affirmativum esse vel æquivocum, vel paronymicum, vel Univocum. Resp. Major nostra firmo stat talo, nec eam exceptio infringit, modum enim competendi Analogicum haud quam admittimus. Probatio huc maximè quadrat, cum satis luculenter ostendat id ipsum, cujus gratia adducitur.

§. 2. Cujus inferiora non tantum nomen sed etiam essentialem, rationem participant, illud est Univocum. Ens est tale. E. Major constat ex definitione Univocorum Aristotelicâ. *Exc. 1. Scheibl. lib. 1. Met. c. 6. n. 15. definitio, ait, ista non est ad propositum. Nam ibi Aristoteles Univocum opponit æquivoco.* Resp. Oppidò fallitur Scheiblerus: Aristoteles enim hoc in loco Univoca, paronymis etiam contradistincta, definit. Quid? Quod in Philosophorum subsellijs ferè indubium, definitionem istam competere in Univoca, prout distinguuntur à denominativis. At enim paronymis definitio ista applicari poterit, nam paries & cygnus non tantum in nomine, sed etiam definitione albi conveniunt. Resp. Ad Univocum non tantum requiritur identitas realis, quæ sufficit paronymis, sed etiam essentialis, quam innuit Aristoteles *λόγω της ἰσίας. 2.* Univoci ratione non absolvit communitas conceptus. Sed præterea requiritur æqualitas. Resp. Inæqualitas ista, quam nunquam non Analogiæ Propugnatores crepant, non est de Conceptu Entis communi, adeoque eum in se diversum reddere nequit. Accidens quidem in respectu ad Substantiam posterioritatem obtinet, verum non in ratione Entis, sed Accidentis. Accidens enim si sub eâ ratione quâ est Ens involvit dependentiam, utique omne Ens eam involvet; cum à quatenus ad de omni valeat consequentia. Suppetias ferre nituntur ij qui regerunt, se non urgere inæqualitatem ratione dignitatis, sed participationis conceptus communis. Sed debilior est illa exceptio, quam quæ sententiam nostram subvertere queat. Respondemus igitur 1. Inæqualis ista participatio non exhaurit Analogiæ rationem. 2. Rationem suggerant; cur inæqualis ista conceptus communis participatio Analogiam inducat, non autè alia specierum inæqualitas. 3. Explicent quid sibi velint istâ inæquali participatione, nec dent sine mente sonum. 4. Sententia hæc non abludit ab eâ, quæ formale Analogiæ statuit dependentiã; ex retrodictis igitur petenda responsio.

§. 3. Thomistæ sententiam nostram convellere conantur ex definitione Analogorum, quam talem tradunt: *Analogi sunt, quorum nomen*

nomen commune, ratio verò substantiæ juxta illud partim eadem, partim diversa. Verum enim verò definitio hæc adeò non astruit ipsorum sententiam, ut eam potius iugulet, nostramq; confirmet. Argumentamur: Cui definitio Analogorum transcribi nequit, qui poterit illud salutari Analogum? Conceptui Entis abstracto Definitio Analogorum nequit transcribi, E. Minor constat exinde, quod Entis conceptui abstracto ratio ejusmodi, quæ partim eadem partim diversa tribui nequeat. Ulteriore probationem si desideres, hanc habeas: Ratio Entis abstrahitur vel secundum id in quo inferiora conveniunt, sicque ille conceptus erit Univocus, quia tunc representatur ratio conveniendi sine disconvenientia; vel secundum id in quo differunt, & sic erit omninò diversus; vel abstrahitur ratio in quâ & conveniunt & differunt, quod incongruum. Si enim in ipso conceptu communi representantur rationes dissimilitudinis, utique formaliter cognoscuntur differentiæ; & sic expirat communitas conceptus. Excipit *Mendoza Disp. Log. 9. sect. 4. sub. 5. §. 42. in conceptu abstracto non cernitur ratio Discriminis & dissimilitudinis prout abstracto, concedo; in illo conceptu communi clarè cognito in differentijs substantia vel accidentis non cernitur dissimilitudo, negatur.* Resp. *Mendoza* committit petitionem principij; loquitur enim hic ex hypothesis, quam non concedimus ipsi. Inst, distinguendum inter conceptum præcisivum quâ talem & ut dicit respectum ad Inferiora. Resp. distinguimus inter Conceptum Formalem & Objectivum. Instantia loquitur vel de conceptu formali, sicque peccat ignoratione Elenchi; vel de Conceptu Objectivo, sic res confundit cum Conceptibus, prædicata Metaphysica cum Logicis. 2. Hac ratione omnia genera evaderent Analoga.

SECTIO III.

ΑΝΑΣΚΕΤΗ

§. I.

JActis Sententiæ nostræ fundamentis, restat sententias contrarias adoriatur. Duz autem sese potissimum objiciunt Adversariorū Classes, quæ, utut armis haud ijdem, parili tamen conatu sententiã nostram oppugnare gestiunt. Primum autem expendere lubet ar-

B 2

gumen-

gumenta eorum Enti qui conceptum transcribunt Æquivocum, il-
liq; conceptum objectivum Inferioribus suis communem denegare
haud erubescunt. Primò vocant in subsidium regulam Theologo-
rum: Deus & Creatura præter nomen nihil habent commune. Sed
frustra: Regula enim ista falsa est hypothesis, quæ non supponenda,
sed probanda.

§. 2. Secundò sententiam suam hoc tibicine fulcire conantur:
Nulla communitas Conceptuum reperire est ratione Entis & non-
Entis E. nec ratione Dei & Creaturæ; rationem Consequentia hanc
suppeditant: Major inter Deum & Creaturam intercedit distinctio,
quàm inter Ens & non Ens, quippe Deus infinità sua potentia ex non-
Ente producere potest Ens; nulla autem dari potest potentia neque
finita neque infinita, quæ ex creatura Deum fabricare poterit. Resp.
1. Facile concesserim majorem inter Deum & Creaturam intercedere
differentiam ratione transmutabilitatis, quomodo & alia disparata,
si non majorem eandem tamen inter se observant distantiam quam
Ens & non-Ens: Ratione tamen identitatis plus discriminis ratione
Entis & non Entis quam Dei & Creaturæ conspicitur. Licet enim
Deus & Creatura qua disparata inter se maximè differant, alio ta-
men conceptu communi gaudere possunt. Exemplo sint homo &
brutum, quæ licet rationalitatis & irrationalitatis ratione sibi maxi-
mè opponantur, in ratione tamen animalis conveniunt. Exc. Re-
sponso non est ad palatum, in Ente enim & non Ente procedere licet
eodem modo. Resp. Longè omnino diversa hic obtinet ratio. Deus
enim & Creatura sunt Opposita mediata, conceptum igitur se pri-
orem facile admittunt: Ens verò & non-Ens sunt Contradictoria,
prima & immediata, adeoq; conceptum se priorem excludunt. 2. re-
spondemus ad argumentum principale distinguendo inter non-Ens
Contradictorium, ex quo Deus Ens nequit efficere & Possibile. 3. dist.
inter esse Præcisivum & Contractivum.

§. 3. Ulteriùs argumentantur Conceptu Deo & Creaturæ communis aut
est finit aut infinitus. Si finit, à naturâ Dei abhorret: Si infinitus ad
Creaturâ extendi nequit. Resp. 1. κατά τὸ βίαιον. Conceptus homini &
bruto communis aut est rationalis, aut irrationalis: Si rationalis
naturæ bruti; si irrationalis naturæ hominis repugnat. 2. Conce-
ptus Deo & Creaturæ communis aut est infinitus, aut finitus, aut præ-
scin-

sciendit ab utroque. Exc. 1. E. dabitur aliquid in Deo quod non est infinitum. Resp. Dist. inter non esse infinitum præcisivè & negativè. 2. Finitum & infinitum sunt contradictoria, medium igitur excludunt. Resp. 1. dist. inter 'effere rei & scibilis, medium quidem excludunt, sed non in omni latitudine. 2. Contradictoria excludunt medium realiter ab ijs distinctum. Conceptus autem Entis non realiter à finito & infinito differt.

§. 4. P. Vazquez isti etiam subscribit sententiæ, quæ unitatem conceptus infitiatur, hinc objicit: *Ratio Transcendens non potest præscindi ab inferioribus E. nec dabitur conceptus communis.* Antecedens probat de Ente: *Ratio Entis nequit abstrahi ab inferioribus: hæc enim in inferioribus manet, à quâ fingis eam abstrahi.* Confirmatur: *Ratio que abstrahitur hæud quaquam remanet in inferioribus, abstracto enim animali ab homine, rationale tantum remanet; at verò abstractâ ratione Entis Ens remanet in inferioribus.* Quò collimant etiam rationes *Complutensium Disp. Log. 11. quæst. 8. p. m. 388.* Resp. Antecedens negatur una cum probatione: Abstractionis enim nomine hic nobis non venit realis separatio unius ab alio, sed operatio intellectus, quâ distinguuntur ea, quæ realiter sunt eadem. 2. Ratio abstracta Entis eodem modo in inferioribus remanet, quo animal in rationali. Confirmatio eiusdem est commatis cum ratione; abstractâ enim ratione Entis à Deo, remanet Aseitas, uti in homine rationalitas, præcisa animalitate.

§. 5. Debellatis iis, qui conceptum Enti vendicabant *Æquivocum*, deferimur ad eos, qui ipsi Analogicum Analogiâ Attributionis intrinsecæ adscribunt. Patrocinium isti quarunt in figmento isto Analogiæ, quod ipsum cum in superioribus destruxerimus, nullo negotio etiam argumenta istâ nixa diluemus. Multas autem habent rationes, quibus sententiam suam astruere satagunt, quas jugi lectione observare licet, nos quas observavimus eâ proposituri sumus serie, quâ sese nobis insinuare. Objiciunt. 1. Univocum debet convenire suis inferioribus absq; ullo ordine & dependentia unius ab altero, sicut animal convenit homini & bruto absq; dependentia unius ab alio: *Conditio verò ista deest in Ente ratione inferiorum suorum.* Accidens non est Ens nisi per ordinem ad substantiam & dependenter ab illâ; item creatura essentialiter pendet à eo

[Creatore, nec sine ordine ad illum intelligi potest. Resp. Ratio
 hæc petit principium. Si enim differentia ista quæ desumitur a depen-
 dentia unius speciei ab altera inducat Analogiam omnia genera
 Analoga jure possunt audire, cum species ratione essentialium di-
 sparatarum sibi opponantur maxime. Confer. *Racon. Part. 1. Log. Tract.*
2. de. Catg. p. 68. 2. Dependens ista non involvitur in ipso conceptu
 communi, nec Ens qua Ens dicit dependentiam. Excipit *Heerebood disp.*
Philos. 1. §. 3. Accidentia dependent à subst. antijs & in quantum sunt acciden-
tia & in quantum sunt Entia, idem & de Creatura ex ciperet licet, quod
 illa non tantum dependeat à Deo quæ Creatura sed etiam qua Ens a-
 lias in ipsa esset aliquid independens. Resp. 1. Falsum, creaturam quæ
 Ens dependere aliàs Deus à se ipso dependeret. 2. Licet conceptus
 præcisivus non dicat dependentiam, exinde tamen non sequitur in-
 creaturam aliquid esse independens, cum inter dependens & indepen-
 dens intermediet non dependens. Excip. Qui poterit una eademq;
 res dici dependens & non dependens, cum ista sint predicata con-
 tradictoria, & juxta *Calovium Part. Gen. Metaph. c. 18.* realis distinctio-
 nis *τεκμήριον* sit oppositio. Resp. 1. dependens & non dependens
 non sunt Contradictoria, cum non dependens sit terminus infinitus
 & sumptitetur præcisivè 2. Quidnî una eademq; res prædicata con-
 tradictoria obtinere poterit? Genus enim & species ex vulgi opinione
 non differunt realiter, prædicata tamen obtinent contradictoria
τεκμήριον istud *Calovij* decollat, nec convertibile cum reali distin-
 ctione existit.

§. 6. *Complutenses Disp. Log. II. ex Thoma argumentantur:*
Quando aliquis effectus non adequat virtutem cause, nomen illis com-
mune non potest esse Univocum. Sed creaturae sunt effectus Dei non ada-
quantes virtutem ejus in aliqua ratione. E. Nomen illis commune non
potest esse Univocum. Probat Major: Quia quando effectus non a-
daquat virtutem cause agentis, non recipit similitudinem ejus secun-
dum eandem rationem, & per consequens non Univocè. Resp. Dispa-
 ritas quæ inter causam & effectum, qui causæ virtutem non adæquat
 intercedit nõ impedit quo minus dari possit ratio præcisa in quâ con-
 veniant. Hinc Deus quæ esse contractum longo intervallo post se re-
 linquit creaturam; quæ esse vero præcisum Deus & Creatura se adæ-
 quant

quant nec ullum reperit locum inæqualitas. Instant: Cū Creatura sine effectus Dei non adequantes virtutem ejus non solum secundū gradus Particulares, sed secundum universalissimam rationem Entis, sequitur nullū commune nomen. posse de Deo & creatura haberi Resp. si loquantur Complutenses de ratione Entis præcisè consideratâ petunt principiū.

§. 7. Voëtius in Phil. Prim. Reform. cap. 3. n. 15 p. m. 49. Univocationem Entis negaturus, hanc subministrat rationem: *Nulla ratio creata, quamvis abstractissima, eodem modo, quo in creaturâ, formaliter in Deo reperitur. Ergo nequit dari una præcisè communis Deo & Creaturis. Minor patet ex eo: quia quæcunq; ratio creata, ut sic finita est, Major colligitur ex eo, quòd ratio præcisè una demum constituat univocum conceptum.* Resp. Complicat Autor conceptum præcisivum & contractivum: Non enim asserimus rationem creatam Deo cum creaturâ esse communem sed rationem Entis, quæ à creato & increato præscindit.

§. 8. Mendoza Disp. Log. 9. sect. 3. subs. 5. §. 41 Analogicum Entis conceptum defensare hoc argumento nititur: *Ens & differentia ejus unico conceptu cognoscuntur: ergo conceptus ille est partim idem, partim diversus, idem quatenus eo cognoscitur formaliter Ens, quod est ratio conveniendi, diversus quatenus eo cognoscitur differentia, quæ est ratio differendi E. quia partim idem partim diversus, analogus est. Quod autem Ens & differentia Entis uno conceptu cognoscantur indeliquet, quod Ens formaliter in differentiâ imbibatur.* Resp. si Antecedens loquatur de Ente præcisè considerato quæ formalem {qua objectivum fallit conceptum. Datur enim ratio Entis abstracta, quæ differentias actu non includit. Ratio nullius est momenti; aliâ enim ratione non includitur Ens in differentiis suis quam animal, quod apud omnes tamen Univocū audit; Si de contracto ad inferiora nihil obtinet, nisi omnia genera vocare velimus Analoga.

§. 9. Passim etiam Autores contra Univocationem Entis hoc objiciunt argumentum: Si Ens esset Univocum in ordine ad inferiora utiq; esset genus. At Ens non est genus inferiorum suorum, Dei & Creaturæ, Substantiæ & Accidentis. E. Resp: Major, nisi Autores præsupponant Ens nec speciem nec differentiam esse, non usq; quaq; vera est. z. Inficiamur Minorē. Multi quidem sunt inter Philosophos qui abhorrent planè à termino generis in Transcendentibus

libus hacq; de causâ distingunt inter Synonyma Transcendentalia & Prædicamentalia. Sed præter rē: Nobis enim non licuit esse tā acutis, qui perspicere possim9, quid inde propullulet absurdi, Deo & Creaturæ, Substantiæ & Accidenti genus si assignaverimus. Rationes ob quas Enti rationem genericam detractam velint, omnes hic expendere angustia chartæ prohibet. Objiciunt autem. I. Si Enti tribuatur genus, ei non erit deneganda differentia. At Enti differentia tribui nequit. E. nec genus. Major probatur; differentia non debent includere genus. At genus Entis differentia ipsam Ens includunt. E. Resp. Profyllogismi majorem negamus; non enim reperies differentias quæ genus suū non includant; id quod etiam fatentur ipsi Analogiæ Assertores, qui volunt in rationali includi animal. Hinc *Scharffius Comment. in lib. 1. Log. cap. 3. art. 3. p. m. 957.* Notabis, inquit, quod differentia non immediatè prædicetur de specie suâ, sed mediante genere, quod semper subauditur. Unde est, quod accuratè loquendo juxta differentia prædicationem, homo dicatur rationale, non rationalis: nempe subaudito animali ut sit sensus completus: Homo est rationale animal. Exc. differentia Entis Ens ita includunt ut de ijs prædicentur. Resp. 1. Hoc modo & differentia animalis includunt animal. 2. differentia Entis formaliter considerata non sunt entia. Exc. Si differentia Entis formaliter non sunt Entia E. erunt non-entia & exinde hoc emerget absurdum illas dicere imperfectionem. Resp. 1. Non repugnat esse non ens & dicere perfectionem: Quis enim negabit attributa entis perfectionem importare? Non-entia tamen vocari consueverunt. 2. Regula ista: Non-ens dicit imperfectionem loquitur 1. de non ente Metaphysico. 2. simpliciter dicto. II. Si ens habet rationem generis in respectu ad Deum & Creaturâ, in Deo erit 1. potentialitas, ut pote quæ perficitur per differentiâ 2. Compositio, & per consequens imperfectio. At in Deo nulla potentialitas, nulla compositio reperit locū Resp. 1. Genus nullam infert potentialitatem proprie dictam; sed modo conceptum latiore. 2. Genus & differentia compositionē non introducunt realem, sed tantum rationis, quæ etiam ex hypothese Adversariorum æquivoce talis est 3. Genus & differentia si in justa capiuntur latitudine & abstractione nullam involvunt imperfectionem. Accidit hoc culpâ subjectorum, quæ rationem generis præter rem per materiales condiciones restringunt.

F I N I S.

Kapsel 7814431 [7]

ULB Halle

3


006 546 102



WMA







DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
Dispiciens

Æ 731
94

AN CONCEPTUS ENTIS IN ORDINE

ad inferiora sit Univocus?

Quam
In Celeberrimâ Universitate Viadrinâ
suffragio Nobilissimi ordinis Philo-
sophici

Publico Eruditorum Examine submitunt

PRÆSES

M. PHILIPPUS BUCHIUS

Servestâ Anhaltinus.

RESPONDENS

ANDREAS BOAS

Deßâ Anhaltinus, Philosophiæ Candidatus
& Theologiæ Studiosus.

In Auditorio Philosophorum Majori.

Ad D. 26 Julij horis antemeridianis.

Frankofurti ad Od.

Excudit ANDREAS BECMANUS.

M DC LXI.